Quelle: https://manuscripta.at/?ID=967
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



Feria quarta. Lectio beati Iacobi.
Fratres. Patientes estote usque ad adventum domini. Ecce agricola expectat pretiosum fructum terre patiens donec accipiat temporaneum et serotinum. Patientes igitur estote et vos confirmate corda vestra quoniam adventus domini appropinquabit. Nolite ingemiscere fratres in alterutrum ut non iudicemini. Ecce iudex ante ianuam assistit. Exemplum accipite fratres laboris et patientiae. per prophetas qui locuti sunt in nomine domini. Hic in matheum.
In illo tempo. Venit iohannes baptista predicans in deserto iudee dicens. Penitentiam agite appropinquabit enim regnum celorum. Hic est enim de quo dictum est per ysaiam prophetam dicentem. Vox clamantis in deserto parate viam domini. rectas facite semitas eius. Ipse autem iohannes habebat vestimenta de pilis camelorum et zonam pelliceam circa lumbos suos. Esca autem eius erant locuste et mel silvestre. Tunc exibat ad eum hierosolima et omnis iudea et omnis regio circa iordanem. Et baptizabantur ab eo in iordane confitentes peccata sua.
Feria vi. Ad. Tytum.
Fratres. Loquere que decent sanam doctrinam. senes ut sobrii sint pudici. prudentes sani in fide in dilectione in patientia anus similiter in habitu sancto non criminatores non vino multo servientes bene docentes ut prudentiam docant a tolescentulas ut iuros suos ament filios diligant: prudentes sobrias castas domo curam habentes benignas subditas iuris suis. ut non blasphemetur verbum dei. iuvenes similiter hortare ut sobrii sint. In omnibus seipsum prebe exemplum bonorum operum. in doctrina integritatem sanum verbum irreprehensibile in gravitate ut is qui ex adverso est vereatur nichil habens malum dicere de nobis. Servos domis suis subditos esse in omnibus: placentes non contradicentes: non fraudantes. sed in omnibus bonam fidem ostendentes. ut doctrinam salvatoris dei nostri ornent in omnibus. Secundum Lucam.